

DISPUTATIO FEVDALIS  
PRIMA:

EX PRIMO LIBRO

SCHOLARVM FEVDA-

LIVM DESVMPTA:

ET IN INCLYTA ARGENTORATEN.  
SIVM ACADEMIA, PUBLICI  
exercity causa proposita,

GEORGIO OBRECHTO IC.

*Respondente*

NOBILISSIMO Dn. IOANNE à KOETZ  
TERITZ, MARCHIACO.

Disputabitur mense Februario.

ARGENTORATI  
Excedebat Antonius Bertramus, Anno  
M. D. XCVII.



### PLATO IN PROTAGORA.

Nem me alio consilio existimes differere velle, quam ut ea, de quibus quotidie dubito, communiter inter nos dispiciamus: quod recte omnino Homerum dicere arbitror:

Σωτὲ δυ' ἐρχομένῳ, καὶ τὸ περὶ τῆς ἀνόησης:

Conveniant bini, melior sententia constat.

### NOBILISSIMO, AM-

PLISSIMO, ATQVE STRENUO  
VIRO, Dn. IOANNI à KÖTTERITZ, ILLV-  
strissimi ac Potentissimi Principis, Electoris Bran-  
deburgici Consiliario intimo & fidelissimo, Dn. in  
Hermßdorff & Wülfaw / &c. patri  
suo, pietate obseruantiaq; de-  
bita colendo,

S. P. D.



Vi, Nobilissime atque Amplissime vir,  
parens unicè & amande & colende, ut  
Deo & Præceptoribus, ita Parentibus  
parem gratiam referri, pretium reddi  
æquivalens, ἀνδρῷ dari dignum pos-  
se, negavit: nā ille sensisse præclare, di-  
xisse verè videtur. Qui sunt enim, à quibus plura majo-  
raque, secundūm Deum, in nos promerita conferun-  
tur, quam ipsi parentes? Nihil vita hac esse nobis ju-  
cundius solet: debilem inquit ille, facias manu, pede,  
coxa, tuber astrue gibberum, lubricos qua te dentes, vita  
dum superest, bene est. At quod in hanc prognati su-  
mus, à parentibus omnino habemus. Est nutritione  
eidem opus; sunt qui satiūs esse ducunt, non nasci,  
quam natum educatoribus & nutritoribus destitui. Et  
istud beneficium parentes soli præstant. Melius, non

vivere sapientes judicant, quām male, atque ita vivere, ut non virtutum, sed virtutum nostris in moribus expressa vestigia conspiciantur. Etiam benē vivendi ratio genitoribus accepta bonis ferenda est: qui piē honeste-que ipsi nos educant, & instituendos alijs tradunt: id optant, votisque vota necundo, unicē expētunt: tales post se filios superstites ut relinquant: qui non nominis solum ab oblivione memoriam vindicent, subdia generis, heredes familiæ, verū etiam, quod est di- vinitus à Platone scriptum, *τάπεια*, ministri, ac famuli Dei, Reipublicæ custodes fidei, diligentes, industrij sint. Indè certè pro monstris, humana specie formaque induitis, habitu olim Nero, Antipater, Antigones fuerunt: qui eò immani sunt improbitate atque impietate pro- gressi: ut luce hac suavissima illos privare minimè du- bitarint, propter quos lucem hanc suavissimam ipsi aspexissent. Commendati contra sunt, qui debitum parentibus suis cultum honoremq; tribuerunt multi, imò toti in eo extiterunt, ut & *ἀνθρώποις*, atque nu- tricationis illis præmia exolverent: & vero fortunæ sua florentis, rerumque preclarè ac laudabiliter gestarum, hos ipsos inspectores nanciserentur. Antigonus uti- que Rex, cum ingenti prælio hostes suos superasset, præ- mium belli hujus ad solum patrem transstulit: Cypri- que ei imperium tradidit: piē admodum, perpetuaque cum celebratione: quandoquidem non pauci omni- bus inventi temporibus fuerunt, qui, ob regnandi cu- piditatem, ne quidem parentū crux manus suas con- taminare dubitaverunt. Fuit multis nominibus Epa- minondas ille Thebanorum Dux felix; victorias ab ho- stibus

stibus, diversis in locis opimas & insignes reportavit: eorundē *προπαοίας* tullit egregias, quando ultrò Pelo- pidam, perfidè à se captum, Alexander Thessaliz tyrah- nus dimisit: ubi contra se exercitus ducem electum es- se cognovit: Agesilaus Rex, in prima incedentem acie cum intuitus, hoc unicum dixit: ô hominem magnifi- cum! Veruntamen, missis alijs, illud in summa ille felicitate reposuit, quod Leuctrica suæ victoria parentes, solum superstites, spectatores habuisset. Hæc, Nobilissime atque Amplissime vir, parens observande, cum per- pendo, considero alia, quæ latere studio nunc patior, nimium ne excrescat oratio, in mentem rursus revoco id, quod curæ maximè esse mihi debet, à quo prognatus, à quo lib. raliter, benigneque educatus, à quo re-atis adhibit studijs sim sedulo, nihil in votis atq; opta- tis meis magis habeo, quām ut pīj, memoris, gratiæ in te animi mei monumentum aliquod extet: *ἄχαρ- στας* ego longè turpissimum crimen effugiam: effici- am, ut inter eos numerari queas, de quibus Seneca, auctor gravissimus, scribit: nihil fortunatius ijs seni- bus esse, qui omnibus ubique prædicabunt, beneficijs lese à filijs suis victos. Verū, cum juxta vetus illud, *καὶ οὐ ποτὲ μέρη* me oporteat: nechoc quidem tem- pore aliud, quo gratae memorisque mentis in te ali- quam dem atque exhibeam significationem, suppetat: illud, qua parest ac decet plerate atq; observantia, rogo: ut publicum hoc studiorum specimen, quod debita submissione tibi offero, dono, addico, consecro, læ- si hilariisque fronte accipere, filium, ad quævis obse- quentem, cum primis ac morigerum, ut hactenus, ita etiam


eriam deinceps liberaliter fovere, amore atq; benevolencia complecti paterna dignitas. Operam dabo, eniteturq; ut ubi culturae hujus floscules tibi non displicuisse animadvertero, DEO OPT. MAX: conatus meos fortunante, fructus aliquando maturi apprehendintur. Vale cum familia tota, & Nestoris usq; ad senectam, felicissime vive. Argentinae, 7. Idus Februarii. Anno reparatae salutis. M. D. XCVII.

A. T.

Oseq. Filius

Ioannes à Kotteritz,  
junior.

DISPV-



## DISPUTATIO PRIMA:

### EX PRIMO LIBRO SCHOLARVM FEVDALIVM desumpta.

#### SIT NE IVS FEVDORVM:

##### CAPUT PRIMUM.



Orum qua in questionem venire solent, Cic. Quintil. & Hermog. tria fecerunt genera: An res sit, quid sit, & qualis sit:

2. Horum primum in conjectura, alterum in definitione, & tertium in partium distributione positum est.

3. An autem res sit, primo semper loco est cognoscendum: quia inutilis est labor, qui in re, quae non est in rerum natura, consumitur.

4. Quare & nos de feudatis iuris distributione per aliquot disputationes acturi, ante omnia primam questionem enodabimus.

5. At huius questionis, auctore Cicerone in Topic. quatuor sunt p. trtes: unum cum queritur an ne sit aliquid: altera unde ortum sit: tertia qua id causa efficerit: & quarta in qua de mutatione rei queritur. In his enim quatuor partibus, conjecturæ ratio consistit, secund. Cic. ad loco.

6. Hinc ad primam conjectura partem quod attinet, non male illa questio moratur, Sit ne jus feudorum, nec ne?

7. Etsi enim dubitatione careat, esse feudo: & esse quoq; aliquot libros feudales: non tamen sic circoco constat, in his libris jus feudorum contineri.

Nam

8. Nam si jus continetur, necesse est id ab eo profectum esse, qui juris constituendi potestatem habuit: quia juris constitutio non priuati, sed publici juris est: l. 2. §. primus Diuus Augustus. D. de orig. jur.

9. Iam autem libri Feudorum à privatis tantum personis, vt à Gerardo Nigrō, Oberto de Otto, & alijs, conscripti & compilati traduntur.

10. Verū nos dicimus, in libris Feudorum, Consuetudines, Responsa Prudentum, & Imp. Constitutiones contineri.

11. Consuetudines, vel sunt Mediolanensium, vel Cremonensium, vel Placentinorum, vel Regni, vel aliorum locorum: no. Cuiac. in prolegom. feud.

12. Et ha olim in illis tantum locis vim suam obtinuerunt, in quibus fuerunt introductæ: no. Hostiens. in Sum. de immunitate. §. in quantum. & Oldrad. cons. 150. n. 7. quia consuetudo specialis locum, in quo viget, non egreditur: l. 3. C. de edif. priv. & l. vlt. C. de testament.

13. At hodie consuetudines Feudales non in una, vel altera tantum civitate, vel provincia, sed in toto Imperio Romano usurpantur.

14. Et propterea, sicut olim ha consuetudines in uno, vel altero loco, ut Cremona, Ticini, Mediolani, Mantua, Verona, & alibi jus fecerunt: quia dum in his locis fuerunt inveteratae, rectè pro legibus fuerunt custoditæ: l. de quibus. 31. §. 1. D. de LL. præsertim, cum consuetudo nihil aliud sit, quam jus non scriptum: §. sine scripto. Inst. de jure nat. gent. & civ.

15. Ita quoq; non immerito hodie in toto Imperio Romano omnes ha consuetudines vim legum habent, & non minus ac leges Romanæ servantur: partim, quia auctoritate

Impera-

Imperatoria, (si Odofred. in auth. cassa, C. de Sacros. Eccles. credimus) approbata, & partim, quia non tantum longissimo usu, sed & eo, qui hominum memoriam excedit, in Imperio recepta sunt; teste Claro, in commun. sent. in §. feudum. q. 3. & Schrader. de Feud. p. 1. q. 1. n. 6.

16. Vt si autem, qui ultrà hominum memoriam duravit, vim privilegij habet, & pro lege est servandus: l. 3. §. ductus aquæ. D. de aqua quot. & ast. c. super quibusdam. 26. §. præterea, ext. de V. S. & no. Bald. lib. 2. F. tit. 56. n. 3. Et hac de feudalibus consuetudinibus.

17. Responsa Prudentum in libris Feudorum reperiuntur Gerardi Nigri, Oberti de Otto, & aliorum.

18. Et sicut olim responsa Prudentum per se vim legum non habuerunt: sed hanc primum ex Imp. Justiniani Constitutione obtinuerunt: l. 1. §. sed neq; ex multitudine. D. veter. jur. cnuci.

19. Ita quoq; nec predictorum Prudentum responsa per se, sed tantum ex approbatione Imp. Friderici, & aliorum Imp. atq; in veterato usu, vim legum consecuta sunt.

20. Omnia enim Prudentum responsa, auctoritate Principis edita, legum habent vigorem: l. 2. §. pen. D. de orig. jur. & in veteratus usus pro l. habetur: d. l. de quib. §. 1. D. de LL.

21. Itaq;, cum hac feudalia responsa, non minus ac feudales consuetudines, ab Imperatoribus approbata, & longævo usu recepta sint: non est, quod ad eos, qui Feudorum libros compilarunt, sed potius ad Imp. approbationem, & longævum atq; in veteratum usum, oculos nostros convertamus. Et hac de responsis Prudentum.

22. Tandem vero Constitutiones Imp. Lotharij I & II. Henrici II. V. VI. & VII. item Friderici I. & II. quorum

in libris Feudorum fit mentio, sine dubio jus faciunt: quia  
quocunq; Princeps per epistolam & subscriptionem statuit,  
vel cognoscēs decretit, vel de plano interlocutus est, vel edi-  
cto praecepit legem esse constat: ait Vlp. in l. i. §. 1. D. de constit.  
Princip.

23. Et propterea in hac prima conjectura parte non im-  
merito inferimus, esse aliquid j. in Feudorū, & hoc vim legū  
obtinere: adeo, ut iudex in judicando & pronunciando id sequi-  
teneatur: arg. auth. jubemus. & ibi Bald. & Ias C. de jud. &c.  
cum venisset, ext. de eo qui mitt. in poss. ita quidē ut si contra  
judicaverit, litem suam faciat. & partis ea ad interesse te-  
neatur: arg. ejus, quod Bald. & Ia C. in d. aut li. jubemus notarii:  
quos refert & sequitur Schrader. de feud. p. 1. q. 1. n. 8. & 10.

24. Quod si vero jus Feudorum vim legum habet, inq.  
Romano orbē receptum est, ut iam ostendimus: ex eo rurſus  
non male infertur, hoc iure omnes Romano Imperio subiectos  
teneri: quia hoc j. vim generalis legis habere videtur, qua  
omnes obstringit. l. 3. C. de L.

25. Quicunq; enim feuda in Imperio habent, sive Laici  
sive Clericis sint, non immerito iure Feudorum uti debent: quia  
si nolunt uti non quoq; feuda accipere debent.

26. Nam eo ipso quod Feuda accipiunt, ad illorum iura  
se obligare videntur: sec. Seysel. in Spec. Feud. in eadem auctoritate Feudd.

27. Et propterea male Andx. Barbat. in c. caterum de ju-  
dic. negavit, Personas Ecclesiasticas jure Feudorum teneri:  
presertim, cum etiā iure Pontificio contrarium probetur: in  
c. caterū. & in c. ex transmissa. 6. cum c. seq. ext de foro camp.

28. Nec audiendus est Curt. jun. de feud. p. 1. q. 2. n. 5. qui  
inter consuetudines Feudales, & Constitutiones Imp. a  
stinguit.

29. Cum

29. Cum. n. ha Constitutiones vim & naturam Feudi  
non mutent, sed in formē potius, meliusq; explicit: nō im-  
merito Clericos quoq; obligat: præsertim, cum hi, Feuda dum  
recipiunt, hoc sive facto etiam Imp. Feudales constitutiones  
apprehare videatur: no. Seysell. d. loco, & Schrader. d. p. 1. q. 2.  
n. 5. quem allegat & sequitur D. Vult. de Fend. lib. 1. c. 1. n. 5.  
Ethac de prima conjecturā parte.

## VNDE ORTVM SIT IVS FEVDORUM, & quæ id causa efficerit:

### CAPUT SECUNDUM.

30. Altera conjectura pars, est de origine Feudorum.  
Nisi enim de hac nobis constet, de questione, An sit, constare  
plene non potest: quia ignorata rei origine, ea res illa sit, ple-  
ne non intelligitur.

31. De origine autem Feudorum variae sunt variorū op-  
niones: quæ tamen ad quatuor ordines breviter referri pos-  
sunt. Nam alijs feuda à Romanis, alijs à Gallis, alijs à Carolo Ma-  
gno, & alijs deniq; à Longobardis praefecta arbitrantur.

32. Primi ordinis interpretes rurſus inter se dissentiunt.  
Nam Budaeus in l. Herennius. 63. D. de evictio. Zas. in l. 2. D.  
de orig. jur. & alijs, feuda ad clientelas Romanorum referunt:  
ut Vassallus clientis, & omnis Patroni loco sit.

33. Matth. de Afflict. in prælud. feudorum: n. 31. Seysel. in  
Specul. Feudd. in definit. feudi, vers. tertio. principaliter, &  
alijs, feuda militis esse affirmant, quarum in iure passim fit  
mentio: l. 3. §. si quid minori. D. de minor. l. Lucius. 22. l. mor-  
tuo bove. 49. D. de leg. 2. & præcipue neass. c. 5 & nov. 97. c. 3.  
& 4: ubi hanc opinionem etiam Helderus sequitur.

34. Vigilius Zuichemus in rub. Inst. tit. de testam. mil. feuda ad agros, sive ad prædia, ab hostibus capta, & militibus in præmium militaris virtutis data, accommodat: arg. l. item si verberatum. 15. D. de R. vind. & l. Lucius Titius. 11. D. de evictione.

35. Et hanc opinionem Lal. Taurell. in libro de militia excusum probat: sed ita, ut feuda tantum ad agros Imperij extremos referat, ex Lamprid. in Alexand. Ita enim fore, Lampridius Alexandrum dixisse fert, ut hac ratione essent attentius jura sua defensuri.

36. Novissime vero Cuiac. feuda ad ea retulit, quæ passim in jure ciuili de hominibus sunt prodita: ut no. in prælud. Feud. & lib. 8. obs. c. 14. Et haec de primo ordine.

37. In secundo ordine est Conanus, qui Feudorum morem à Gallis, ad Germanos, Hispanos, Italos, & alios Europei populos venisse putat: lib. 3. comm. Iulij Cesari.

38. In tertio ordine est Ferrar. Montan. Hic enim libr. 1. de feud. c. 1. Feudorum originem ad Caroli Magni tempora referit.

39. In quartò vero & postremo ordine sunt communiter Interpp. qui existimant à Longobardorum consuetudinibus feuda profluxisse: teste Claro, in comm. sent. in §. feudum. q. 1. & VVesenb. de feud. c. 3. n. 2.

40. Verum, si has omnes opiniones paulo diligentius consideramus, statim appareat, esse quidem in allegatis rebus cum feudis magnam similitudinem: at rursus esse quoque magnam diversitatem: ut hoc in scholis nostris pluribus ostendimus.

41. Et licet in tanta opinionum varietate, & in tanta similitudine & diversitate rerum, validè difficile sit, certi & indu-

indubitati aliquid de feudorum origine definire: praesertim, cum de ea apud probatos auctores nihil certi, nihilq. firmi extet:

42. Nihilominus existimamus, initia Feudorum Longobardis esse ascribenda. Hi enim feuda nobis introduxisse videntur.

43. Nam quod libr. 1. F. tit. 1. dicitur, Antiquissimo tempore sic fuisse in Dominorum potestate connexum, ut quando vellent, possent auferre rem in feudum à se datam, id ad Longobardos, vel antiquos Saxones referimus.

44. Quid ita? Quia ex historijs constat, Longobardos, qui Insubriam occuparunt, fuisse Saxones.

45. At veteribus Saxonibus feuda nota fuisse, Speculum juris Saxonici ostendit.

46. Nec refert, hoc Speculum tempore Caroli Magni compositum esse: quia non de novo ius Saxonicum introduxit: sed quod antè introductum fuit, in Speculum retulit.

47. Hoc enim ex lib. 1. artic. 18 satis appetat: ubi Carolus Magnus, se domesticajura, in paucis mutata, Saxonibus reliquisse affirmat.

48. Sic etiam adhuc aliis liber. de morib. feudalibus Saxonum, extat: in quo multa sunt, quæ cum recepto Feudorum jure convenient.

49. Itaque quod d. lib. 1. F. tit. 1. de antiquissimo tempore, quo feuda sua habuerunt initia, & de Dominis, feuda dantibus, affirmatur, id utrumq. Longobardis attribuimus. Longobardi enim videntur fuisse illi Domini, qui antiquissimo tempore res suas alijs in feuda dederunt: ea tamen lege, ut ea pro arbitrio revocare possent: d. lib. 1. F. tit. 1.

50. Nam cum ante in patria fenda Longobardis nota fuerint: verisimile est, eos secum in Italiam eadem attulisse: ut sentit VVesenbec.de feud.c.3.n.2.

51. Hac verisimilitudo inde confirmatur quia cum Longobardorum Principes in eo toti fuerint, ut in Italia regnum sibi constituerent: sanè beneficiarios sibi, vel Vasallos instituisse videntur: quorum opera militari in regno acquirendo, & acquisito retinendo uterentur: cuius opera feuda quasi præmium & auctoramentum essent.

52. Hac autem feuda à Longobardis ea primum lege introducta, ut quando vellent, ea revocare possent, postea moribus Longobardorum, responsis Prudentum, & Constitutionibus Imperatorum Romanorum, in plurimis aucta & amplificata fuerunt.

53. Et propterea in hac secunda conjectura parte conclusimus, originem Feudorum Longobardis, at incrementum & augmentum moribus Longobardorum, responsis Prudentum, & Constitutionibus Imperatorum Romanorum ascribendum: ita tamen, ut non sit negandum, in feudis reperiri nonnulla, que cum clientelis, militijs, alijsq; veterum Romanorum institutis affinitatem aliquam habeant: sicut in Scholis nostris explicavimus. Et hec de secunda conjectura parte.

54. Tertia conjectura pars est, Qua nam causa feudum efficerit? Sed quia de hac etiam in praecedentibus duabus

conjecturis aliquid egimus: & amplius in causa effidente acturi sumus: iccirco hoc loco calamus retrahimus.

DE

## DE MUTATIONE IVRIS Feudorum.

### CAPUT TERTIUM.

55. Restat ultima conjectura pars, de mutatione rei. Et quidē ad hanc illa pertinet quæstio: An consuetudines feudales in scripturam redactæ, nomen ac vim consuetudinum habere desinant, & leges fieri incipient?

56. Hujes questionis partem affirmativā Ioan. Raynald. in sua comprehensorio in pr. defendit: eo quod hæ consuetudines auctoritate & mandato Imperatoris Friderici, certo ordine conscriptæ & approbatæ sint: ut c. præcedente ex Odofredo affirmavit.

57. Unde n. Raynaldus nō immixtū inferre videtur: has consuetudines jam leges esse factas: quia leges sunt ius scriptum: at consuetudines sunt ius non scriptum: & constat autem, & s. sine scripto: Inst. de jure nat gent. & civ.

58. At contrarium communiter DD statuunt. teste Claro, in Comin sentent. in § feudum q.2.

59. Et rectè. Consuetudo enim in scripturam redacta manet consuetudo: no. Barth. in l. de quibus. 31 n.7 & 8. D. de Legib quia res ipsa manet: quia, inquam, Consuetudini nihil accedit, nihilq; decedit: sed hoc tantum efficitur, ut de eamelius constet, & ut certior ejus sit probatio: arg. l.4. D. de pignorib. & c.1. in pr. de jurejur. lib.6.

60. Et propterea, cisi Consuetudines Feudales, auctoritate Imperatoris, certo ordine conscriptæ & approbatæ essent: de qua tamen dubitat D. Vult. de F. lib 1. cap. .n.3.

61. Nihilominus mansistent consuetudines: quia haec auctoritas

ctoritas nihil ijs vel adjecit, vel detraxit: & quia non ut leges, sed ut consuetudines approbatæ fuerunt.

62. Ex quo fit, ut deficiente statuto, vel consuetudine locali, non solum in Germania, sed etiam in Italia, Gallia, Burgundia, & alibi, in questionibus feudorum, secundum has consuetudines judicetur: sec. Guid. Pap. decis. 180. Boer. de consuetud. Bituricens. & Seysell. in Spec. feudal. cir. definit. feudi. quia consuetudines feudales, immemoriali observatio- ne communes factæ sunt, & in materia feudali juri communi derogant: no. Bald. lib. 2. F. tit. 1. n. 5.

63. Et si enim legum Romanarum non vilius sit auctori- tas: non tamen adeo vim suam extendunt, ut usum vin- cant, aut mores: ait Obert. de Otto, lib. 2. F. tit. 1. vers. legum autem: quia in legibus Romanorum de feudis in specie nihil est cautum.

64. Et propterea in feudis plerumq; magis consuetudo, quam quod legibus est definitum, quodq; ex ijs argumentan- do deduci potest, valere debet: quia in ijs que nominatim le- gibus non sunt definita, plus momenti consuetudo, quam lex habet.

65. Exempli causa, jure scripto parentes succedunt li- beris: nov. 118. c. 1. At ex consuetudinē in Feudis non suc- cedunt: lib. 2. F. tit. 50.

66. Sic filia jure scripto parentibus succedunt: d. nov. 118. c. 2. At ex consuetudine non succedunt: lib. 1. F. tit. 8.

67. Non autem ha consuetudines, extræ feudalem ma- teriam, ad aliarum causarum decisionem, contrâ jus Roma- num, vel Pontificiū allegari possunt: quia non ulterius ha con- suetudines receptæ videri debent, quam sunt usurpata. At usurpatæ tantum sunt in questionibus feudorum: d. lib. 2. F. tit. 1. vers. legum autem.

68. Exem-

68. Exempli gratia: Libro 2. F. tit. 33. dicitur: Actore in probatione deficiente, reo defensionē dari, cum duodecim Sacramentalibus.

69. At iure Romano & Pontificio dicitur; Actore non probante, reu esse absolwendum: l. accusare. 4. C. de eden. &c. 3. ubi no. de probat.

70. Et propterea, quod d. titul. 33. affirmatur, in feudis quidem locum habet: sed non contrâ jus Civile, vel Pontifi- ciū, ad alias causas allegari potest: quia in ijs, quæ scripto ju- re definita sunt, plus scriptum, quam consuetudo valet. Hac enim tūm demum plenam vim habet, ubi lex deficit: l. de quibus. 31. D. de Legibus. & no. Cuiac.

71. Quod si verò feudales consuetudines & feudalia jura: i.e. causa aliqua feudali decidenda defecerint; ad jus Civile est recurrentia, & quod in hoc cautum reperitur, ad feudalem illam causam seu questionem est accommodan- dum.

72. Strenuus enim Legisperitus, sicubi casus emer- serit, qui consuetudinē feudi non sit comprehensus, absq; calumnia uti poterit lege scripta: ait Obert. de Ort- to d. lib. 2. F. tit. 1. vers. strenuus.

73. Exempli causa, si queritur, Cum vasallus feudi partem pignori obligavit: & deinde feudum Domino committitur, cujus causa sit potior, Domini, an Credi- toris pignorati?

74. Certè hæc questio, cum iure feudorum non sit defini- ta, & cum in Emphyteusi jus Civile hoc casu definit, vecti- gali non soluto, si Dominus jure suo usus est, pignoris jus eva- nuissse: l. lex vectigali. 31. D. de pignor. idem non immerito de hac questione statuitur: nempe commisso feudo, pignus ex- tingui.

C

75. Eadem

75. Eadem enim utrobiq; est ratio: quia resoluto jure datoris, recte quo j. jus accipientis resolvitur: d. l. lex vectigali. ubi no.

## DE FEVDI DEFINITIONE:

### CAPUT QUARTUM.

76. Hoc jam constituto, jus feudorum in rerum natura existere sequitur alteram methodi questio: Quid nam sit secundum?

77. Hac questio, definitionem nominis, & rei complectitur.

78. Definitio nominis recte definitio rei praecedit: quia origo verbi, bene imposita, ex eodem fonte, quo definitio rei profuit: & quia nemo res intelligit, nisi prius verba cognoverit. Hac enim, (ut Plato in Cratyllo tradit) sunt instrumenta, quib. res significantur.

## DE ETYMOLOGIA FEUDI.

79. Etymologia autem feudi, non secus ac eius origo, à varijs varia constituitur.

80. Nam Anton. de Prato à fædere deducit: quia initio fædere ad mutuam fidelitatē præstandam, Dominus & Vasallus se obligant: no. Ferrar. de F. lib. i. c. i. circā fin.

81. Iacob. Columbin. lib. i. F. tit. i. feendum à Longobardico verbo Faida, quod hostilitatem seu bellum significat, deducit: quia feendum hac præcipue de causa à Domino constituitur, ut ei Vasallus, tempore belli adsit, & opem ferat.

82. Sic Philipp. Melanthon in Commentar. ad Officia Ciceronis, à Germanico nomine Tūden/ quod pascere significat,

cat, derivat: quia feendum in pratis ac pascuis ut plurimum consistit.

83. Alij aliunde feudi Etymon sumunt: ut Conanus & Hotomannus, à verbo Vachelto, seu Vasleto quod ministru denotat: & Vigelius, à Germanica voce, Voethey: qui omnes & singuli suæ derivationis probabiles rationes adferunt.

84. Nos autem his, alijsq; similibus Etymologis omissis, arbitramur feendum omnium optimè à fide derivari: ut feendum dicatur quasi fidum: quemadm. sensit Obert. de Orto, lib. 2. F. tit. 3. in fin, quia in fide seu fidelitate, forma & essentia feudi consistit; ut suo loco dicemus.

85. Vnde Mozzius, de F. in pr. n. 4 fidem dici ait, quasi fac & dic: quia is, qui fidem debet, in facto, & dicto fidelis esse debet.

86. Vnde etiam vasalli, qui feuda habent, appellantur Fideles: lib. i. F. tit. i. §. i. & tit. 15. in pr: quia Domino suo fidem promissam servare, & erga cum in dicto & facto, h.e. in sermone & opere, fideles esse debent: no. Mozz. d. loco.

87. Vnde deniq; Vasalli, seu Fideles, dicuntur eius, à quo jure feudi rem acceperunt, Leudes, sive Leodes: quod est Francorum lingua, Ses Leaux, ou Loyaux.

88. Et inde apud Germanos feendum appellatum fuit, Leudum, sive Lehen: forsan à Germanico verbo, & cunct. quod hominem significat: quia is, qui alicuius factus est vasallus, cuius homo videtur factus: quod in nostra lingua vocamus. Och Leyenherren M. inn; ut etiam no. Cuiac. in prolegom feundi. & D. Vult. d. F. cap. 2. num. 4. Et hæc de Etymologia feudi.

# DE DEFINITIONE FEUDI,

89. Definitio feudi similiter à variis varia cōstituitur.

90. Et quidem Obertus de Orto, lib. 2. F. tit. 23. circā fin. duas definitiones tradit: quarum una est beneficij, tanquam generis, defumpta ex libr. 1. Senec. de benef. & altera est feudi, tanquam speciei.

92. Et hujus generis, ait Obertus, species quædam est beneficium illud, quod ex benevolentia ita alicui datur, ut proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: ususfructus vero illius rei ita ad accipientem transeat, ut ad eum, heredesq; suos, in perpetuum pertineat, ad hoc, ut fidelitatem Domino serviant: sive servitium sit determinatum, sive non: d. tit. 23. circ. fin.

92. Hanc Oberti definitionem communiter interpretessequuntur, ut testatur Curt. Iun. de F. p. 1. q. 6. & Clur. lib. 4. recep. sent. §. feudum. q. 4.

93. At non uno vicio, sed varijs laborat: quia non recte definitur per beneficium: & quia male dicitur esse perpetuum: quia deniq; perperam in eo servitia præstanda affirmatur. de quo plura in Scholis.

94. Non minus autem videtur vitiosa esse definitio, qua à Baldo, Belviso, & Immolano, feendum dicitur esse concessio rei pro homagio:

95. Vel cum à Ioan. Raynoldo, Rebuffo, Zasio, & Molinaco feendum affirmatur esse benevolæ & libera rei immobilis, vel equipollentis concessio, cum utilis dominij translatione, retentia proprietate, sub fidelitate, & exhibitione servitorum honestorum.

96. Nam

96. Nam in litig, definitione male feendum dicitur concessio: cum hæc concessio constituat feendum, & non sit feudi constituti genus.

97. Qua de causa etiam illa feudi definitio improbari potest, in qua loco generis contractus ponitur: quia contractus est causa feudi: at feendum est ejus effectus.

98. Sic etiam male in secunda definitione dicitur, in vasallum utile dominium transferri: cum tale dominium ex jure probari non possit.

99. Male præterea fit mentio Servitorum: quia servitia non in omni feudo necessaria sunt.

100. At talis debet esse definitio, quæ omni speciei competit: quia alias erit angustior definitio.

101. Et hac de causi Hottomanni quoq; definitione regimimus, qui feendum dicit esse clientelam militarem, ea lege contractam, ut cliens pro beneficio accepto, militarem operam præbeat: vicißimq; Patronus suam illi fidem & bnevolentiam præstet.

102. Hæc enim definitio illis tantum feudis, quæ militaria sunt competit: cum tamen multa hodie feuda, non ob militiam, sed alias quoq; ob causas, dari soleant.

103. Tandem nec Duarenii definitio admittenda videatur, qui feendum dicit esse rem immobilem, quæ fidei vel obsequij gratia, certò modo alicui fruenda conreditur.

104. Feendum enim non est res, sed est jus in re constitutum: feendum, inquam, non est res: sed res est materia feudi, non ipsum feendum.

105. Magna autem differentia est inter materiam feudi, & ipsum feendum.

106. Sicut etiam Seneca inter beneficium & materi-

am beneficij, multum interesse dixit; lib. i. de benefic.

107. His itaq; alijsq; similibus definitionibus repudiatis, feudum definitius esse jus, sub mutua fidei conditione, à Domino & Vasallo, in rebus immobilibus, certo modo utendis fruendis, constitutum.

108. Dicimus, feudum esse Ius: quia feudum in hac definitione, prout jam est constitutum, accipimus. Hoc enim nihil aliud est, quam jus, à Domino benevolè Vasallo in refundali concessum.

109. Dicimus, esse Ius, sub CONDITIONE FIDEI constitutum: quia fides est de substantia & forma feudi: & in omni feudo necessario requiritur.

110. Et si enim feudum aliquod possit esse sine fidelitate, hoc est, sine fidelitat is juramento: non tamen potest esse sine fide: quia à fide nomen & essentiam suam habet: libr. 2. F. tit. 3. §. ult.

111. Dicimus, SUB MUTUAE CONDITIONE FIDEI: quia in constitutione feudi, inter Dominum & Vasallum, ultrò citroq; necessitudo contrahitur, de fide invicem praestanda: lib. 2. F. tit. 52. item tit. 26. §. Domina committente. & tit. 47.

112. Non solum n. Vasallus Dominum, tanquam Patronum suum observare, sed etiam Patronus Clientem suū sibi cordi & curæ habere debet: arg. l. quidam. 132. D. de V. oblig.

113. Dicimus, A DOMINO ET VASALLO CONSTITUTUM: quia uterq; simul feudum constituit.

114. Dominus. n. sub conditione fidei rem suam vasallo fruendam tribuit: at vasallus eam hac conditione accipit.

115. Nec dare rem in feendum sufficeret: nisi esset qui acciperet: quia si nemo accipit, etiam dato rei corruit.

116. Dici-

116. Dicimus, REBUS IMMOBILIBUS: quia feudum non nisi in rebus soli, aut solo coherentibus, vel ijs, quæ alias inter immobilia connumerantur, consistit: ait Obert de Orto, lib. 2. F. tit. 1. §. ult.

117. Dicimus, UTENDIS FRUENDIS: quia in feudo rei immobilis ususfructus à Domino in Vasallum transferatur: d. lib. 2. F. tit. 23. in fin.

118. Nec placet, quod communiter Feudist & vasallū ususfructuarium esse, vel refeudali uti frui negent: & ea de causa Obertum de Orto, d. lib. 2. F. tit. 23. in fin. reprehendant: sicut plurcs enumerat Borchold. de feuddo. c. 1. n. 13.

119. Cui. n. competit definitio, ei etiam definitum competere solet. At definitio ususfructus, cuius fit mentio in l. r. D. de usufr. etiam feudo convenit: quia hoc quoq; est jus utendi fruendire aliena, salvā eius substantia: Ergo.

120. Dicimus deniq; cum Duarenco; de feud. c. 2; CERTO MODO UTENDIS FRUENDIS. Feudum. n. est quidem ususfructus: sed non simpliciter: quia ad vasalli heredes in infinitum transit: lib. 1. F. tit. 1. §. antiquissimo. in fin. & quia tantum in rebus immobilibus, & que harum jure censentur, constituitur: libr. 2. F. tit. 1. quia deniq; in feudo semper fides, & plerumq; servitia prestantur: lib. 2. F. tit. 3. in fin. & tit. 23. §. ult. quæ omnia in ususfructu aliter se habent: no. D. Fult. de F. c. 2. n. 9. & nosplura in Scholis,

121. Et propterea recte in definitione feudi hæc verba, CERTO MODO, sunt adjecta: quia feudum certo modo est ususfructus.

122. Sicut. n. contractus ex cōventione legē accipere solet: l. jurisgentiū. 7. §. quin imò D. de pact. & l. 1. §. si cōveniret D. deposita in feundo, ususfructus ex Domini & Vasallī conventione & placito, certo modo constitui & formari solet.

123. Qua de causa Isernia, Matth. de Afflict. Iac. de S. Georgio, Gaius, Mysing. & Hotoman. feudum instar usus fructus esse dixerunt: quos allegat D. Vult. de F. d. c. 2. n. 9: quia non quidem per omnia est ususfructus: sed tamen in plurimis cum usufructu communionem habet: de quo suo loco plura.

124. Quamvis autem feudum in quibusdam abusufructu differat: non tamen ideo inferendum, feudum planè non esse usumfructum: quia est quidem ususfructus in genere, sed non in specie.

125. Hoc ut intelligatur, sciendum, cum ex jure feudali constet, feudum aliquo modo usumfructum esse, & hunc ab eo usufructu differre, que jus Civile novit: sic circò ratione suadente, novam ususfructus distributionem constitui posse.

126. Unde dicimus, Usufructum in genere non male definiri, jus alienis rebus utendi fruendi, salva earum substantia: l. i. D. de usufr.

127. At hujus generis due videntur esse species: feudum, & ususfructus in specie.

128. Feudum ita definiri potest, ut suprà thesi 107. est definitum.

129. Altera vero species, (qua est aváwmp, & generis appellatio ex primitur) definiri potest, jus, simpliciter rebus alienis utendi fruendi, salva carum substantia.

130. Itaque in genere quidem feudum est ususfructus: quia generalis ususfructus definitio etiam feudo competit:

131. At non est ususfructus in specie: quia non est jus simpliciter, sed tantum certo modo, rebus alienis utendi fruendi. Huc faciunt, qua no. D. Vult. d. c. 2. n. 9.

F I N I S.